



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CCXXVII. Iure Canonico pro falsitate multiplex pœna imponitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

CCXXVII.

DIFFERENTIA II.

Iure Canonico pro falsitate multiplex pœna imponitur, c. Ad falsarios. de crim. falsi. Iure civili in homine libero est pœna deportationis, & omnium bonorum publicationis; in seruo ultimum supplicium: l. 1. §. fin. ff. de fals. Ioann. Bapt. à S. Blas. 136.

I. Falsum quatuor modis committitur, scilicet scripto, dicto, facto, & ususcripto, ut si Notarius falsum instrumentum scribat, c. Inter dilectos, de fide instrum. Dicto, ut falsi testes faciunt, l. 1. §. Qui rationibus, ff. ad l. Corn. de fals. Facto, quod monetariis proclive, l. Qui falsam, ff. eod. De niq; usu, ut si falsis probationibus utaris, l. Si falsos, C. de falsis. Az. in summa hoc tit. Armilla v. Falsarius. In presenti de literarum falsificationibus potissimum sermo est.

II. Injuria literarum igitur falsitate illata ex dignitate personarum æstimatur, indeque pœna variatur. In c. Ad falsarios, Innocentius III anathemati subicit eum, qui per se, vel per alios literas Papæ falsificat, eorumque fautores clericos officii & beneficii privatos post degradationem Curie sæculari tradendos esse decernit, per quam etiam laici, si convicti fuerint, puniantur. Qui verò sub nomine pontificio falsis literis utitur, id est, per alios impetratis, si clericus fuerit, officii, & beneficii spoliatur: si laicus,

ramdiu maneat excommunicatus, donec competenter satisfaciat: ita tamen, ut in his, & in illis malitia gravius, quam negligentia puniatur. Quod etiam in illis observandum, qui falsas literas impetrant, quibus ad iniqua desideria sua abutuntur.

III. De legum pœnis Glossa in v. Legitimas: Pœna falsi in homine libero est deportatio, & omnium bonorum publicatio: in seruo ultimum supplicium. Sic distinguit ff. Ad l. Corn. de fals. l. 1. & ult. & C. eod. intellige de illis, qui falsificant rescriptum principis: qui verò aliorum literas falsificant, aliter puniuntur, & leuius iuxta c. Ad audientiam. Atque ita puniendi sunt, qui per se, vel per alios vitium falsitatis exercent, ut patet per istam literam, ubi loquitur de illis, qui literis falsis ab alio impetratis utuntur. V. Diaz. in Pract. crimin. c. 118. Silvestr. in v.

Falsarius. Zerola Part. 1. eod. Menochium casu 315. Iul. Clarum l. 5. §. Falsum.